



J. N. J. C. C.

DE ACADEMIA AGIT

AC SIMVL

VT

V I R I

SYMME AC PLVRIMVM REVERENDI, EXCELLENTISSIMI, NOBILISSIMI,
CONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI CLARISSIMIQVE,

QVI CHEMNICII SVNT,

MAXIME

INSPECTORES SCHOLAE
OMNI OBSERVANTIA COLENDI,

ORATIONEM LATI-
NAM

ET CARMEN GERMANICVM,

QVAE

JUVENIS EXIMIVS ET AD PRAECLARA QAEVIS TENDENS

MAVRITIVS ADOLPHVS ENGEL,

BVRGSTADIENSIS SCHOENBVRGICVS,

ANTE SVVM E SCHOLA DISCESSVM

IN AVDITORIO MAIORI,

DIE XI. CALEND. APRILIS

AVDITA NONA MATVTINA

MEMORITER RECITARE GESTIT,

BENEVOLE AVSCVLTARE NON GRAVENTVR,

IMPENSE ROGITAT

M. Daniel Müllerus,

Rect. Schol. Chemnic.

CHEMNICII,

LITTERIS STOESSELIANIS A. MDCCXL.

2

H. Saxon. H.

15,53

Hip. Sac. eccl. 439



* * *

Uoniam de naeuis quibusdam, qui in scholis, in primis maioribus, Academia, aliquo tempore ante, regnauerunt, *Iuuenis eximius, & ad praeclara quaeuis tendens, Mauritius Adolphus Engel*, valere nos dum iubet, verba facere sibi proposuit: licitum, credo, mihi erit, de ipsa Academia, quantum angustioris temporis ratio permittit, nonnulla hic colligere. Ad ipsa autem Academiae incunabula vel ortum antequam me conuerto, quomodo recte pronuncietur vox, longane an breuis sit syllaba proxima a postrema, meorum gratia, praemittere hic paucis iuuat. Leue litigium facile dirimet graecorum lingua, vbi vel Ἀκαδημία vel Ἀκαδημία recte scribitur. *Claudianus*, Poeta carminum elegantia se antiquioribus haud impar, syllabae, quam dixi, sonum contrahens, de studiis e Graecia migrantibus dum loquitur, ita canit (a): *In Latium spretis Academia migrat Athenis*. Ex iis, qui dictae Syllabae longiorem in pronunciando moram dederunt, solum iam memoro *Lauream Tullium*, e *Ciceronis* libertis qui fuit, in cuius carmine aliquo hic occurrit (b) versiculus: *Atque Academiae celebratam nomine villam*, cetera. Sed satis de cortice vocis: ad nucleum vel rem ipsam accedo, quidque fuerit olim Academia, inquirendum puto. Vbi quidem, res complures id nominis habuisse, confitendum est. Primum tacitus praeterire nequeo, nominatum ita locum quendam prope Athenas, de quo *Pausanias*, ita scribit (c): Ἐγγυτέρω δὲ Ἀκαδημία χωρίον ποτὲ ἀνδρῶς ἰδιώτου, γυμνασίον δὲ ἐπ' αὐτῆς. Plenius Pausaniae mentem explicat *Io. Scapula*, ita dum commentatur (d): *Academia dictus fuit locus quidam publicus ab Academo quodam, qui eum consecrauit, vel ab Echademo, ut quidam volunt, unde & ἐχιδνίαι vocata fuit, & ἰακιδνίαι, ut Plutarchus in Theseo refert. Consitus hic locus erat* (sic pergit Scapula) *arboribus multis pulcherrimis, ibidemque erat gymnasium, in quo Philosophi se exercebant, ut & in Lyceo*. Quod si ergo fuit Gymnasium, non fuit locus luxui, lului deliciisque (quae fere in medullis haerent iuuentuti,) conueniens, id quod *Plutarchus* confirmat (e), dum negat, τὸ παιδείῃ καὶ τρυφῇ ἀξία εἶναι τῆς Ἀκαδημίας. Cui igitur rei hic locus fuit consecratus? Consecratus fuit studiis ac scientiae rerum mente comprehendendae. Lauacrum quidem fuisse Academiam, *Hesychius* auctor est: verum minus proprie, me quidem iudice, acceptum fuit lauacrum; eo quod iuuenilium mentium sordes, ignorantia nec non errores ibi abluerentur. At hoc etiam pacto manet scientiarum sedes, in quam ingenii ille ac doctrinae Princeps, *Plato*, se contulit, scholamque ibi, magnam discipulorum frequentiam nactus, instituit: quare etiam eundem ipsius Academiae auctorem ac principem nominauit *Paulus Manutius* (f). Probabilia hic maxime indagasse Platonem obseruarunt multi: in primis testis est *Cicero* (g), *Academiae proprium fuisse, iudicium nullum interponere, ea probare, quae simillima veri videantur, conferre causas, & quid in quamque sententiam dici possit, exprimere, nulla adhibita sua auctoritate, iudicium audientium relinquere integrum ac liberum*. Scilicet *Plato*, vna cum *Socrate*, Magistro suo, saepius dixisse legitur (h), fungi se officio velut obstetricis, & tentando rogandoque, vti foetum, in lucem educere: nihil se scire, neque aliud, quam se ambigere, & alios reddere ambigentes: denique profiteri se vnum eorum, qui libenter redarguerentur pariterque arguerent. Plurima hic, si cuncta vel certe potiora alia, quae in Academia docuit *Plato*, adicere vellem, essent coaceruanda: verum sic in ipsis eorum, quae scribere hic mihi proposueram, subsistendum foret initiis. Progrediendum potius, illudque obliuione non obliterandum, *Ciceronem* aliquam villam suam, in quam saepius, ad animum a curarum publicarum onere reuocandum, ac litteris, honestissimo otio, reficiendum,

(a) In Panegy. de Manlii Theodori Consulatu v. 94. Neque solus corripuit Syllabam *Claudianus*. (b) carmen extat in *Plinii Histor. Natur. L. XXXI. c. 2.* (c) in *Atticis, cap. 29. p. 71.* Edit. *Lips.* Verba *Pausaniae* ita transtulit *Romulus Amasaeus*: non longe a muris Academia est, priuati olim hominis aeger, nunc gymnasium. (d) in *Lexico p. m. 91.* (e) in *Vita Luculli.* (f) in *Commentar. in Lib. I. Offic. Ciceronis, p. 18.* (g) *Lib. II. de Diuinat. cap. 73.* (h) Vide *Ioannis Fungeri Lexicon Philologicum, pag. 11.*

memoriae Platonis, quem maximo amavit opere (i), recondendae gratia, *Academiam* appelliraffe. Refert id nobis *C. Plinius Secundus*, *Digna*, inquit (k), *memoratu villa est, ab Auerno lacu Puteolos tendentibus imposita littori, celebrata porticu ac nemore, quam & vocabat M. Cicero Academiam, ab exemplo Athenarum, voluminibus ibi compositis eiusdem nominis.* Haec est Academia, quam in mente habuit *Laurea*, cum versiculum superius memoratum scriberet: Haec est etiam, de qua ipse fatetur (l) *Cicero: Nobis nostra Academia magnam licentiam dat, ut, quodcumque maxime probabile occurrat, id nostro iure liceat defendere.* Istud denique leuiter hic tangendum est, *Academiam* in scriptis veterum, Ciceronis maxime, audire saepiuscule ipsam familiam vel sectam Academicorum, qui post Platonem in Academia docuerunt, inter quos menti iam obuersatur *Speusippus, Xenocrates, Polemo, Crantor*, & si qui sunt alii, qui, sicuti *Platoni* in plurimis calculum addebant, ita in nonnullis secessionem ab eo facere non dubitabant (m). Maxime *Arcefilas* (n) in Academia non pauca immutauit (o), atque ob id auctoris Academiae mediae titulum est promeritus (p). Quomodo, post id temporis, subnata sit Academia tertia, imo etiam quarta & quinta, quid in harum placitis ab illa prima Platonis discederit, copiosius si vellem exponere, ne propositi mei limites migrem, & libellum integrum componere velle videar, jure metuo. De aliis Atheniensium scholis, dum *Academiam* tantummodo intueri iam mihi mens erat, e. gr. de *Lyceo*, prorsus taceo, ad *Io. Andreae Schmidii* Dissertationem doctam (q) sciendi auidos ablegans. Licetne vero insulas in Archipelago sitas ad Graeciam, vbi Athenae veluti lumen aliquod extinctis ceteris eluxerunt, referre? Si liceret, dicendum esset, quod in vna harum quoque, prisca temporibus clara, *Delo*, *Academiam* vel sedem eruditionis reperisse sibi videantur aliqui. Sane *Franciscus Placentia*, *famosam veterum Academiam fuisse Delum, ex diuersis, quae supersunt, ruderibus, & inscriptionibus coniecit* (r). At sicuti in eo dubitatio est nulla, quod haec insula templo *Apollinis* (qui hic natus esse credebatur) clara, quod aliquando commune Graecorum aerarium (s), quodque emporium in Graecia eadem celebratissimum (t) fuerit: ita, dum praecipue *Georgius Wehlerus*, quem sedulo evolui, alia, per quae *Delo* antiquae non parum celebratae accessit, commemorat (u), de vetere loci Academia ne mussat quidem: mittimus *Placentiae* coniecturam suam atque disquirimus potius, ad quas Academias, vel si ita appellare tergiuersaris, ad quae loca prisca Romani, per complures annos Martis potius, quam Mularum cultores, scientiarum imbibendarum gratia, excurrere consueuerint. Et hic primas Athenis, vrbi situ amoenae, & ob tenuem & calore temperatum aërem, viuamque & illimem aquam salubri, concedendas esse, quilibet in historia non hospes lubens fatebitur. Gratus porro admodum iucundusque, insula clarissima *Rhodus*, doctrinae comparandae gratia, Romanis fuit secessus; eo quod ibi eloquentiae & politices studia florerent: quo & *Tiberius Caesar* secessit, qui ad octauum circiter annum hic commoratus (x), & quod *Suetonius* confirmat (y), *circa scholas & auditoria professorum assiduus fuit.* Hic *Maffiliae* quoque mentio est iniicienda, quae Galliae *Narbonensis* vrbs studiis Philosophiae ac litterarum adeo excelluit, vt ipsis Athenis palmam propemodum faceret ambiguam: quapropter *Patricii Iuuenes*, studiorum ac morum fingendorum causa, Roma huc sunt missi, inter quos etiam *Cn. Iulium Agricola* reperimus. Plura fuerunt loca (a nonnullis *Academi*arum titulo insignita) quae iuuentus Romana, doctrinae consequendae

(i) Tantopere amavit miratusque est Cicero Platonem, vt minus recte diceret, malle se cum Platone errare, quam cum aliis verum dicere. (k) Lib. XXXI. *Histor. Nat.* c. 1. p. 1335. ed. Dal. (l) Lib. III. de *Offic.* c. 4. circa finem. (m) Vide *Pauli Manutii Comment.* in Lib. I. *Offic. Cic.* c. 2. p. 18. (n) Sic eum appellat *Cicero*, *Acad. Quest.* Lib. IV. & passim, cum alii *Arcefilaum* eum dicant. (o) Ea, quae in *Academia* mutauit *Arcefilas*, scite conquisiuit doctissimus *Jac. Bruckerus*, P. I. *der Philosophischen Graegen*, p. 721. seqq. (p) Vide *Brucknerum* loc. cit. p. 734. (q) Agit illa de *Gymnastii Litterariis Atheniensium*. (r) in mari *Aegaeo* rediuiuo, seu *Chorographia Archipelagi*, p. 323. Vide *Acta Eruditorum*, an. 1688. p. 519. (s) discimus hoc ex *Nepotis Aristide*, c. 3. (t) *Δῆλος ἐμπόριον τοῖς Ἕλλησιν ὄνα*, inquit *Eusebians* in *Lacon.* f. Lib. III. cap. 23. (u) dans le voyage de *Dalmatie, de Grece, & du Leuant*, Lib. I. p. 83. (x) Patet hoc ex *Suetonii Tiberio*, c. 14. (y) loc. cit. c. 11.

gratia, adiit; sed de iis fuse lateque hic agere (z), instituti mei non esse, probe recordor. Licebit vero, credo, per beneuolum Lectorem, disquirere, an veteres etiam Hebraei Academias, a scholis, Synedriis & Synagogis distinctas, in quibus variae discipulis disciplinae fuerint expositae, habuerint. Non pauci doctorum virorum affirmant, viguisse omnino inter eos eiusmodi Academias. Si quaenam vrbes eis sint gauisae, quaerimus, nominantur ab iis Hierosolyma, Theman (vbi ipsi *Cornelio a Lapide* ex *Jeremia* (aa) talis obuenerit) Abela, atque vrbs, nescio quae, in tribu Naphthali. Celebris ille *Leideckerus* gymnasium auctoritate Antiochi Epiphaniis a Judaeis extructum (bb), & alterum ab *Jasone* Pontifice constitutum (cc), scholas fuisse Academicas arbitratur; sed falso; quia e *Maccabaeorum* libris, ex quibus euincere istud voluit *Leideckerus*, dilucide patet, ibi de palaestris seu ludis exercendo corpori aptis esse sermonem. Contra hos & alios euidenter satis videtur mihi *Nicolaus Ferrara Aulifius* demonstrasse (dd), sacrae tantum scientiae operam olim nauasse Judaeos, & scholis publicis, in quibus humaniores litterae scientiaeque instillarentur, fuisse destitutos. Nostra etiam aetate Vir doctissimus *M. Io. Leonhardus Heibnerus*, in *Dissertatione* (ee) peculiari, Academias Judaeis maximo vindicare nisu contendit: verum, quo minus ad eius transeam sententiam, sunt aliqua, quae impedire me videntur, ob plagulae angustiam iam tacenda. Nunc ex antiquioribus ad ea, quae nostris sunt propiora, tempora progrediendum (sic enim constitueram), quidque iis pariter ac nostris sint Academiae, commonstrandum, variaque scitu fortasse non indigna adserenda essent. Verum tractatio ista longior omnino est, quam vt eam capere haec possit pagina. Erit fortasse occasio, de Academiis recentiorum temporum aliqua, quae non nescire discipulorum nostrorum interesse reor, plenius explicandi. Jam ad me se vocat, quem supra laudaui, Juuenis eximius & ad praecleara quaeuis feruidis, quod aiunt, rotis contendens

Mauritus Adolphus Engel, Burgstadiensis Schaenburgicus.

Quid me velit, dum ad se me vocat, non diu est mihi sciscitandum. In Academiam abiturus & Musis vrbique nostrae vale vltimum dicturus publice, vt ego, ad audiendum, Chemnicium doctum inuitem, desiderat. Quas partes ego suscipio eo lubentius, quo magis ille pectus bene praeparatum eo adfert. Primum enim in laribus paternis a maxime Reuerendo Parente, fratreque laborum paternorum socio longe doctissimo, adeo bene institutus fuit, vt, cum ante duos, & quod excurrit, annos scholae nostrae, quae & antea Fratres ipsius quatuor praestantissimos formauerat atque ad Academiam praeparauerat, traderetur, fundamenta studiorum pulchre admodum ab eo iacta esse, deprehenderem. Apud nos in industriae patriae studio ita currere perrexit, vt calcaribus nunquam egerit. Junxit diligentiae humanitatem, probitatem, obseruantiam erga magistros, atque alias virtutes discipulo dignas, vt Academiae Lipliensi, ad quam tendit, decori eum futurum esse praeuideam. Non inuita veritate scripsisse me, quae scripsi, manifestabit, ante discessum, ipse, oratione latina luculenta, de *naeuis quibusdam, qui Academias scholasque superioris temporis deformarunt, Pedantismo & Galantismo, item Pennalismo & Nationalismo* ex memoria habita, carmineque vernaculo terse scripto, quo pro acceptis beneficiis gratias agit, adiecto. Optima quaeque germanico carmine, suo & scholae nomine, discedenti apprecabitur Juuenis ad studia natus fidusque contubernalis

Johannes Christianus Schulzius, Chemnicensis,

praemissa latina oratione de *tribus docto futuro admodum necessariis requisitis, natura, institutione & exercitatione*. Quid superest? Hoc vnum, rogare vt, *Patroni ac Fautores*, Vestram honorificam praesentiam nunc quoque, vt saepius antea, nobis indulgeatis, & hoc beneficium ingratis minime collatum iri, certo credatis.

(z) Vide omnino *M. Georgii Nicolai Kriegk* doctam *Diatriben de Peregrinationibus Romanorum Academicis* habitam Jenae an. 1704. (aa) c. XLIX, 7. (bb) 1. *Maccab. I*, 15. (cc) 2. *Macc. IV*, 12. (dd) in *facrarum scholarum Libris* duobus posthumis. *Conf. Acta Erud.* an. 1725, p. 342. (ee) Titulus eius est: *De Academiis Hebraeorum*. Vide *Noua Litterar. Germaniae*, a. 1703, p. 282.

Je. Lax. 20. 15, 53